



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Adaequationes tributorum grauium. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Condonatio quartae partis tributorum.*

CAP. II.

**Q**UANTO autem studio curauerit, ut & plebem & inferiorum hominum animos exhilararet, vel ex uno exemplo quod erat, & ad vitam commodissimum, & ad omnes etiam perueniebat, hodieque durat, facile perspicere licet. Nam cum annua ei tributa, agrorum nomine penderent, quartam his detractam partem, agrorum possessoribus donauit: ut annuam detractionem ad calculum reuocant, facile appareret frugum dominos quarto quovis anno appendendo tributo fore leuatos: Id quod etiam lege firmatum, & in omne reliquum tempus stabilitum, non viuentibus solum, sed etiam eorum liberis & successoribus indelebilem & perennem beneficentiam praestitit.

*Adæquationes tributorum grauium.*

CAP. III.

**C**VM vero nonnulli agrorum metationes a superioribus imperatoribus factas reprehenderent: hisque fines suos premi quereretur: hic rursus arbitros misit: qui regre diligenter inspecta postulantes illæsos præstarent.

*Quod pecuniariis iudiciis conuictos, ipse propriis facultatibus sublevavit.*

CAP. IIII.

**C**AETERORUM causas pecuniarias ipse imperator audierat, cum minimè vellet ut qui causa cecidissent deteriori conditione discederent: libenter eis ex suis bonis non unquam agros, aliquando pecunias largiebatur: ut iudicio conuictus, quoniam dignus est habitus, ut in conspectu imperatoris veniret: non minore cum letitia discederet, quam qui causam erat adeptus. Etenim cum non decere existimat, ut qui coram tanto imperatore compareret, demissio & lugubri animo dimitteretur: ista ratione perfecit, ut utraq; pars sereno placidoque vultu iudicio liberaretur. Ita accidit ut hanc animi in imperatore celsitudinem omnes admirantur.

Og 2      stylbda